



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus XXXVI. De Religiosis Domibus, Ut Episcopo Sint Subiectæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXXVI.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS, UT EPI- SCOPO SINT SUBIECTÆ.

Dostquam de statu Religio-
rum, & personis Religiosis
dictum est, nunc de eorum-
dem Domibus, & Ecclesijs
subijcitur. Ex hac autem Rub-
rica, seu titulo notandum, quòd spectato
communi jure, & seclulis privilegijs, & ex-
emptionibus, Religiosorum monasteria, &
Ecclesiæ Episcopis subditæ sint *c. omnes Ba-
silicæ 10. causâ 16. q. 7. & docent Innoc.
Ioann. And. & alij in c. cum venerabilis
hoc est.*

CAPITULUM I.

Nunc.

PARAPHRASIS.

Si dubitetur, quis Episcopus Basilicam nup-
per ædificatam dedicare debeat, inspici
debet, quis Episcoporum, antequam
fundaretur Ecclesia, ejus loci incolas
baptizârit, & ad quem annuatim con-
currerint ob Confirmationis Sacramen-
tum; nam is etiam ad consecrationem
templi vocandus est, non autem ex lo-
corum terminis hæc lis definiri debet.

SUMMARIUM.

1. In dubio juris pro possessore est præ-
sumptio.
2. Qui unum actum jurisdictionis, sub
generali nomine exercet, eo ipso ac-
quirit possessionem similium jurum,
ad idem officium pertinentium.
3. Olim singulis annis pro Confirmationis
Sacramento administrando, ad pa-
rochiam venit Episcopus.

4. *Ex terminis loci non semper defini po-
test, ad cujus Episcopi jurisdictionem
spiritualem parochia pertineat.*

Notandum primum. Si quis sit in paci-
fica possessione alicujus rei, præsumptio
est, ipsi jus rei competere, sive, ut aliter di-
cam, in dubio juris pro possessore præsum-
ptio est. Ita *Abbas hic n. 2. argum. c. cum
ad 15. de rest. spol.* Quare, qui possidet,
onus probandi proprietatem in adversarium
transfert, *S. retinenda Inst. de interd. l. 1.
c. sepe 18. de rest. spol. & videri potest Ma-
scard. con. 1194.* quòd possessor in dubio
verè censetur possidere.

Notandum secundum. Si quis unum
actum jurisdictionis, sub generali ratione,
v. g. ordinarij officij exercet, eo ipso ac-
quirit possessionem consimilium ad idem offi-
cium pertinentium, uti *Innoc. hic & in c.
2. n. 3. de Capellis Monach. Ioann. And. n.
4. hic & in cit. c. 2. n. 8. Abbas hic n. 3.* ubi
ait, quòd possessio unius articuli jurisdic-
tionis affert possessionem universalem to-
tius jurisdictionis, seu omnium articulo-
rum; præterquam si sit alius in possessione
jurisdictionis quoad alios articulos, juxta
c. andris 15. de prescript. ubi de hoc actum.

Exemplum dat *Abbas n. 4.* si aliquis per
temporis diuturnitatem exercuit actum
præsentationis in Ecclesia, censi debet
verus, & absolutus Patronus, quando ne-
mo alius ostendi potest, qui pro Patrono
habitus sit: sed alia ratio est, si Episcopus
unum actum jurisdictionis exercuerit in ho-
spitali, non potest inde inferri, etiam in re-
liquis, & absolutè loquendo, esse locum
Religiosum, & Episcopo subditum, quando
in alijs articulis hospitale immune fuit ab

Quia.

PARAPHRASIS.

Gregorius I. scribit ad Agapitum Abbatem, cum monasterium, in fundo Martiano Campanie, ob hostium incursions penitus destitutum sit congregatio, ut ne unus quidem remaneret monachus, quod ipse decrevit monasterium illud cum omnibus rebus, & actionibus competentibus, ipsius monasterio unire, ut res dicti Martiani monasterij vendendi à decipientibus, ac retinendi libera habeat facultatem; insuper monachos in b. deputare possit, qui cessante hostilitate, opus Dei celebrare, & decore deservire possint; verum tamen monasterium istud ordinationi Abbatis ita committitur, ut non Episcopus Aflurensis, in eorum civitate monasterium Abbatis Agapiti existit, sed Episcopus Nucernus, tanquam diocesanus, jurisdictionem in eo habeat, nam Papa ita eius loci ordinationem disposuit, ut inter omnia singulis Episcopis inviolata serventur, Habetur c. 9. registri epist. 67.

SUMMARIUM.


1. Romani Pontificis auctoritate potest unum monasterium desertum alteri uniri.
2. Ita, ut omnia jura transeant in monasterium, cui fit unio.
3. Quid, si fiat unio monasterio alterius diocesis aut monasterio exempti.

Notandum primum. Si monasterium sit desertum, aut desolatum, omnibus Religiosis recedentibus, aut emortuis tunc justa causa adest alteri monasterio ad Ecclesiam uniendo; verum per Romanorum Pontificis auctoritatem. Est hæc species quarta donationis, uti ex hoc c. colligitur, & citius habetur in c. pastoralis 7. in fine de reservationibus. Addit Abbas hic n. 2. ut etiam

Episcopo, & Laicæ jurisdictioni subditum, cum id non rarum sit, & hospitalia sæpe loca sacra non sint, seu Episcopo non subiecta.

3. Notandum tertium. Olim singulis annis Episcopus veniebat ad parochias, causam ministrandi Crucis consignationem, quod est Confirmationis Sacramentum: nam quolibet anno Episcopus parochias omnes diocesis personaliter visitare debebat, ut exquirat, num reparatione indigeant. Episcopus in causa 10. q. 2. tunc autem etiam confirmare poterat. Permittitur tamen etiam in c. ut, si impeditus sit Episcopus, per presbyteros, vel diaconos visitationem Ecclesiarum, & ministrorum peragat; quare quod attinet ad Sacramentum Confirmationis, regula hæc traditur, peccare Episcopum, si illud longo tempore administratione intermitterat, ut docui l. 5. s. 3. s. 6. in fine.

4. Notandum quartum. Ex terminis seu finibus loci determinari non potest, ad cuius Episcopi spirituales jurisdictionem parochia pertineat. Hoc dictum clarum est, si sermo sit de terminis, seu limitibus territoriorum; nam jurisdictio temporalis nihil commune habet cum diocesi, & jurisdictione spirituali, prout docet Felinus in c. cum causa n. 12. de probationibus, Barbosa hic n. 2. Adde, quod neque territorium semper secum ferat jurisdictionem temporalem, cum in territorio unius alius jurisdictionem certi loci habere possit, ut proinde sit in territorio, non autem de territorio, teste Menochio l. 3. presumptione 97. n. 6. & 14. Sin autem intelligatur de terminis, seu finibus diocesis, tunc sensus est, quod ex ipsis non possit certo definiti, quod parochia posita inter fines, pertineat ad diocesana, cum alius Episcopus per immemorabilem possessionem, præscriptionemque potuerit jus parochiale in aliena diocesi acquirere, prout dixi in c. 4. de parochijs.



Episcopus hanc unionem facere potuisset, *argum. c. sicut 8. de excess. pralat.* requiritur causa justa necessitatis, vel utilitatis, tractatus quoque, & consensus Capituli Cathedralis, & alia juris solemnitates; sic ut in casu Capituli, monasterium alteri monasterio extra diocesim sito uniat, cum sit species quaedam alienationis.

2. Notandum secundum. Etsi omnes professi monasterium aliquod etiam sine proposito redeundi, aut per mortem deserant, si tamen monasterium adhuc exstet, vel ejus restaurandi spes sit, hoc in casu res omnes, jura, & actiones benigna jurisdictione censentur pertinere ad monasterium, seu Ecclesiam, tanquam accessoria ad suum principale, ita, ut si monasterium, vel Ecclesia per legitimam auctoritatem Ecclesiasticam alijs uniat, ij per consequentiam jus ad bona, census, & actiones monasterio competentes, ac veluti adherentes acquirant. Ita colligitur ex hoc *c. & significat Joann. And.* quando monachis esse derelictum, sed non penitus destructum: eandemque doctrinam habet Baldus *proem. ff. colum. 2.*

3. Sed questio est, si monasterium juxta casum Capituli uniat, successe monasterio sito in altera diocesi, ita, ut Abbas monasterij principalis sit etiam praelatus monasterij uniti, quod veluti extinctum censetur: in hoc inquam casu, ad quem Episcopum pertinere debeat confirmatio Abbatis, non consentiunt DD. *apud And. hic n. 4. Petrum de Perusio in tra. de unione c. 10. n. 4.* Respondeo: vel sermo est de monasterio majore, vel de minore? si de unito, opus non est Episcopi confirmatione, quia uti notavit Joann. Zignanus *hic, & Garzias de beneficio p. 12. c. 2. v. 50.* Confirmatio, & institutio cessat in monasterio, vel Ecclesia unita; quare Prior, seu Vicarius, actualem curam conventus ibi habens, constituitur per Abbatem, & conventum monasterij principalis, cui subditus sit; vel si conventui monasterij inferioris huic uniti, ex consuetudine electio Prioris aut Vicarij per-

mittitur, ejus confirmatio ad Abbatem majoris monasterij pertinet. Vel sermo est de monasterio majore, seu principali? tunc dubitari non debet, Abbatis ejus confirmationem pertinere ad Episcopum, eumque solum, in cujus diocesi est monasterium principale.

Notandum tertium. Si monasterium, aliave Ecclesia uniat, aut Ecclesia alterius Diocesis, vel monasterio, aut Ecclesia exempta, unio hac fieri censetur salvo jure Episcopi, in cujus diocesi monasterium unitum situm est. Ita hic habetur, *& in c. ult. de confirmatione utili,* & notavit *Gloss. hic,* quod per unionem hanc non fit prejudicium Episcopo, in cujus diocesi monasterium est; item quod Papa cui libet jura sua conservare intendit. Excipe cum *Garzia l. 1.* quod ea jura per unionem auferantur Episcopo, quorum ablationem unio per se, ac necessario secum fert; nam qui vult unum, censetur etiam velle alia, quae intrinseca sunt, aut necessario consequentia: sic supra dictum, quod per unionem institutio, & confirmatio Praelati Episcopo auferatur, quia per unionem praetura, aliave beneficium veluti extinguitur, prout annotavit *Glossa in c. & temporis v. unire, causa 16. q. 5.*

Coroll. Episcopus jus retinet visitandi Ecclesiam unitam, ipsosque regulares inibi ministrantes, & habitantes, sicuti ante unionem factam visitare solebat; excipe, nisi unio facta sit regularibus Ordinis exempti, atque in Ecclesia unita regulares collegialiter vivant, sub aliquo Priore, aut Praeposito, juxta ea, quae dixi *in disp. de Pralat.*

CAPITULUM III. De Xenodochijs.

PARAPHRASIS.

Xenodochia & similia loca sacra sunt Episcoporum, in quorum diocesi sunt, dispositioni, & ordinationi, quam ipsi facere debent juxta fines, & utilitates, ad quas ea loca constituta sunt.

LI 2

SUM.

SUMMARIUM.

1. *Hac talia pia loca subsunt Episcopo, in cuius diocesi existunt, nisi exempta ostendantur, ita ut fundatam habeat super his iuris dictionem Episcopus.*
2. *Et hinc curare etiam debet Episcopus, ut bona talis loci pij ad usum fundationi convenientem applicentur.*

Notandum primum. Xenodochia & omnia loca pia, atque Ecclesie subsunt Episcopo, si in diocesi existant, nisi ostendantur exempta: sive, ut aliter dicam, super omnibus monasterijs, Ecclesijs, & pijs locis in diocesi positus, fundata est iurisdictio Episcopi, donec exemptio ostendatur. Ita sumitur ex hoc *c. 6. & c. 7. hoc tit. c. Abbatibus 16. causa 18. q. 2.* & allegato hoc textu docet *Azor t. 1. l. 12. c. 19. q. ult.* Sermo autem est de Xenodochijs, quae inter loca pia numerantur, si videlicet cum Episcopi auctoritate erecta, aut ejus cura commissa fuerint, juxta *c. sequens*, & videri potest *Clem. quia hoc tit.* Interim nihil obstat, quominus Dominus saecularis hospitale edificare possit, idque suae & haeredum, vel successorum curae, & dispositioni subijcere. Addit *Innoc. & And. c. sequente*, quod etiam oratorium hospitali adungere possint, sed non ita, ut sacrificium Missae in eo celebrare liceat absque auctoritate Episcopi. Quod si hospitali Ecclesia, seu Capella adjuncta sit, cum Altari, & presbytero, & habeat campanam ad vocandum populum, signum hoc est, esse locum sacrum, secundum Gloss. in *cir. Clement. §. finali verb. Altare, Barb. in c. sequente in fine.*

2. Notandum secundum. Episcopus curare debet, ut res & bona Xenodochij, alteriusque pij loci, ad eum usum pium perveniant, ad quem à fidelibus fundata, & destinata sunt, neque ipsemet aliquid sibi ex sacris locis mendicare debet, vel appropriare, nisi quod jure concessum est *c. conquerense 16. de off. Ord. c. cognovimus causa 12. q. 2.* quibus in locis statuitur, de Ecclesijs Dicecesanibus, quod Episcopus ultra jura antiquitus

consueti nihil ab illis, earumque Redibus exigere possit.

Attendi etiam debet ad litteras fundationis & consuetudinem diuturnam, ut intelligatur, quisnam res, & bona Xenodochij temporalia administrare debeat; cum enim in tit. spirituali non sint fundata, sicut praebendae Clericales, ideo eorum bonorum administratio in Laicos cadere potest.

CAPITULUM IV.

Adhuc.

PARAPHRASIS.

Quaeritum fuit ex Urb. IV. num. Domus hospitalis in saecularem domum mutari possit? Respondet, si domus ad usum hospitalitatis, pauperumque provocationem, prout moris est, cum Episcopi auctoritate destinata fuit, & ideo locus religiosus, non debet amplius mundanis usus deputari, quemadmodum hoc ipsum de vestibus, & vasis, ligneis, aliisque utensilibus, ad cultum Divinum ab Episcopo deputatis, antiqua Ecclesiae consuetudo indubie observat, & SS. Patrum Canones edocent.

SUMMARIUM.

1. *Hospitale non efficitur locus Religiosus, nisi publica auctoritate Episcopi constructum sit.*
2. *Et hinc, si sine auctoritate Episcopi constructum sit, liberè potest deijri, & in alium usum converti.*
3. *Ita tamen, ut templi utensilia, tamen benedictionem non habeant, ad usum profanum adhiberi non debeant.*

Notandum primò. Hospitale non efficitur locus religiosus, seu sacrum, nisi publica Episcopi auctoritate constructum sit. Rationem dat Gloss. *v. auctoritate, Innoc. & alij*, quia persona privata locum sacrum facere non potest, lege in *causa 1. §. sacra res L. sacra p. ff. de rerum div. quam ob rem bene monet Gloss. in *c. de Ecclesiastico v. si terram, causa 13. q. 2.**

hic n. 2. in Canonico foro non servari, cum neque verum sit, quod docuit *I. C. in l. 2. cod. de relig. &c.* locum religiosum & sacrum fieri, ita ut vendi non possit, eo solum, quia corpus hominis mortui illatum est, vel in eo sepultum manet.

² Notandum secundò. Hospitale, quod sine Episcopi auctoritate erectum est, destrui, vel in alium usum liberè converti potest. Ita sumitur ex hoc *c.* per sensum contrarium, & docuit *Abbas hic n. 3. Gloss. in Clement. quia S. ult. verb. altare hoc sit.* Id verò sic intelligi debet, si aliquis domum ad suscipiendos pauperes, & peregrinos destinârit, absque foundationis obligatione, quòd revocare, & immutare possit; secus autem, si hospitale fundavit, seque donatione inter vivos facta ei obligavit: si verò fundatio per modum dispositionis mortis causâ facta fuit, & ante mortem revocata non fuit, hæres implere cogitur, & ad id Episcopus compellere potest, cum sit causâ pia, tamen si hospitale sine Episcopi auctoritate constitutum sit, & ideò locus sacer non censetur.

³ Notandum tertio. Templi utensilia, tamen si benedictionem non habeant, ad usum profanum adhiberi nunquam debent *c. ligna 38. & c. sequente dist. 1. de consecratione.* est enim regula generalis *51. in 6. semel Deo dicatum non est ad humanos usus transferendum ulterius*: quare nec monasteria, cum inter sacra loca numerentur, in Laicorum habitacula, seu domos privatas, seu non religiosas converti possunt. *c. qua semel 4. & c. sequente causa 19. q. 3.* Idem igitur in hoc *c.* deciditur de hospitali, si Episcopi auctoritate erectum, ideòque sacer locus sit, non posse amplius in domum profanam mutari, aut usibus profanis applicari. Id verò non rectè docuit *hic Abbas n. 5.* eos malè agere, qui vestes pretiosas, v. g. nuptiales, Ecclesiæ donant, ut exinde casulæ, & vestes sacræ conficiantur, cum id nullo jure prohibi tum sit, & per se sit opus pium, & nullâ circumstantiâ deonestetur, quandoquidem dedicatio ad pium usum, super-

veniens benedictio, ex profano sacrum, & religiosum efficit.

CAPITULUM V.

Inter quatuor.

PARAPHRASIS.

Ex Innoc. III. quæsit Patriarcha Constantinop. num monasteria mutari possint in Collegia Canoniorum secularium. Respondet Papa, quamdiu monasteria per Religiosos ordinata possunt manere, non sunt transferenda ad Clericos seculares; sed si regulares defuerint, quòd in eorum defectum monasteria per Clericos seculares ordinari possint.

SUMMARIUM.

Episcopo non est concessum monasteria transferre ad seculares Clericos, quamdiu per regulares ordinata manere possunt.

Notandum. Episcopo non est concessum, monasteria, in quibus Religiosi sunt, transferre ad Clericos seculares, quamdiu ea per regulares ordinata manere possunt. Ita intellexit *Gloss. & Abbas hic*, nam uti ex integra lectione apparet in monasterijs, erant Religiosi aliqui, sed non sufficiente numero, aut qualitate, ita, ut ea reformatione indigerent, quam Patriarcha facere volebat per Canonicos seculares: hoc itaque in casu reformationem, & ordinationem Episcopus facere debet per Religiosos ejusdem monasterij, si fieri possit; in defectum eorum advocandi sunt Religiosi ex alijs ejusdem Ordinis monasterijs, prout habetur *in c. relatum 7. ne Clerici vel Monachi* propterea quòd Episcopus, seclusâ necessitate, statum Ecclesiæ mutare non possit. Sin autem per ejusdem Ordinis Religiosos reformatio institui non possit, tunc ijs, qui in monasterio sunt, alibi collocatis, ordinatio fieri debet per alios Religiosos. Sin denique necessitas postulet, quia per regulares, sive ejusdem, sive alterius Ordinis

Monasterium ordinari non potest, tunc collocandi sunt Clerici Sæculares, uti colligitur ex hoc c. & tradunt hic *And. & Abbas*. Sermo autem est de Episcopo; at verò Pontifex ex justa causa potest licite monasterium, si v. g. ejus professi malè vivant, ijs amotis, assignare Clericis Sæcularibus, uti *Abbas hic* monet c. 6.

CAPITULUM VI.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Orta lite inter Episcopum Albanensem & Monasterium Cryptæ Ferratæ de Jure Episcopali, contententibus Monachis, Ecclesias ad suum Monasterium pertinentes, eidem concessas fuisse à prædecessore Episcopo cum omni jure Episcopali in emphyteusin sub annua pensione; & replicante Episcopi Oeconomo, id fieri absque Simonia non potuisse; rescripsit Pontifex, non esse insolitum, ut cum Episcopi concedunt Ecclesias pijs locis, aliquid sibi referent nomine pensionis; unde Monasterium ab omni impetitione Episcopi absolvit.

SUMMARIUM.

1. Super juribus sibi competentibus Episcopus habet fundatam intentionem in Ecclesijs suæ Diocesis, quamvis vi incorporationis, aut patronatus à Religiosis possideantur.
2. Exemptionis privilegium ab Episcopo concedi potest cum Papa confirmatione.
3. Concedens Exemptionem, censum sibi reservare potest in Ecclesia taliter exempta.
4. Verba disponentia accipiunt interpretationem ex subjeçta materia.

Notandum primum. Episcopus habet intentionem fundatam super juribus sibi competentibus in Ecclesia sita in Dic-

cesi, tamen si ea jure incorporationis, aut patronatus possideatur à Religiosis quibuscunque, ut hic apparet, & in c. sequente, & in c. conquerente id. de off. ordinarij & notat *Gloss. & Abb. hic n. 7.* qui addit n. 2. *Innoc. in cit. c. conquerente n. 4.* esse hanc petitionem, seu actionem universalem, in qua absolute necessarium non est res à se per se specificare: peto jura Episcopalia, debita mihi in Ecclesia ista; vel: peto Ecclesiam cum juribus spiritualibus suis, quæ sita est intra Diocesim meam: sicut si quis tamquam hæres petat hereditatem, & in omnia jura, & res ejus. *L. 1. & sequentijs ff. de petitione hæred.*

Notandum secundum. Episcopus potest plene, sive quoad omnes articulos Ecclesiam suæ Diocesis à juribus Episcopalibus eximere per modum beneficii. Ita sumi videtur ex hoc *Capitulo*, sed arbitror necessarium fuisse, ut Papa ex certa scientia hoc exemptionis privilegium confirmaret, cum Episcopus per se talem exemptionem concedere non possit, teste *Innoc. hic n. 2. Gloss. verbo à quocunque & V. confirmavit. Abbas n. 10. Doctores in c. 1. de privilegij n. 6.* contra quosdam, quos citat, & sequitur *Barbosa de off. Episcopi. p. 3. allegatum 19.* Quod verò *Innoc. & Ioan. And. hic* ajunt, ab Episcopo institui posse v. g. Abbatem, tanquam Vicarium suum, ut in Ecclesia omnia agat, vice & jure Episcopi, id verum est, si agat, ut delegatus, & cum dependentia ab Episcopo; at verò ordinarium, atque perpetuum officium vicariatus annexum publici dignitati, vel Prælatuæ, præter ea beneficia, quæ Canones in Ecclesijs requirunt, Episcopum creare non possit, videtur jure ea, quæ docui in *disp. de jurisdic. con. p. 1. & 51.*

Notandum tertium. Prælati Ecclesiastici concedens beneficium exemptionis, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ, potest tamen à se in alterum transferens, potest censum aliquem modicum retinere, non ut prædictum, aut in compensationem concessi beneficii, quippe quod spirituale est, atque pro eo

liquid temporale, ut pretium, sine vitio Simoniz accipi non potest, sed duntaxat in signum recognitionis accepti beneficii. Ita sumitur ex hoc c. & tradit *Gloss. in notandis de recompensatione, Abb. n. 18. Suarez t. 1. de relig. l. 4. de Simonia c. 24. n. 37.* Dixi autem, modicum quid exigi posse; sin verò notabile sit, censetur per modum compensationis, sive commutationis, & reciproci contractus simoniacè accipi, uti hic *Abbas notavit argum. c. etsi 18. de Simonia.* Id verò extra controversiam est, si v. g. Romani Pontificis auctoritate parochia monasterio alicui uniat, per transactionem, sive pactum aliquid certi statui posse, quod Episcopo ratione mortuorum, cathedralitici, aliarumque similibus obventionum, dari de jure debet.

Notandum quartum. Verba loquentium, aut disponentium accipiunt interpretationem ex materia subjecta, ita ut juxta eam sint etiam impropianda, sive ad impropiam significationem trahenda, prout pluribus relatis tradit *Barbosa hic n. 3. & docui cit. l. 1. tra. c. 18. n. 6.* Contentit *Abbas hic n. 22.* si in contractu, inquit, verba ponantur, quæ possint trahi ad varias species contractuum, non debemus contractum interpretari secundum verba apposita, sed potius secundum naturam contractus; idque apparet ex hoc c. tamen enim Oeconomus monasterij excipiendo proposuerit Ecclesiam concessam esse monasterio in emphyteusim, & in emphyteusi dominium rei maneat apud concedentem; at verò in censuali contractu dominium rei, & jus totum transferitur, adeò quidem ut tamen biennio, aut triennio pensio, sive census non solvatur, non sit locus pœnæ commissi, sed agi debeat ad solutionem pensionum præteritarum, prout docui *l. 3. t. 4. c. 23. n. 2. & 3.* & tradunt hic Canonistæ communiter; quamobrem etiam in casu hujus c. non fit ulla mentio commissi, sed tantum præteritorum annorum non solutos census esse restituendos, Dices: cum hujus pensionis sive census in litteris pa-

palibus nulla mentio facta fuerit, videntur subreptitiæ fuisse, sicuti objectum fuit. Respondetur, litteras confirmationis non fuisse subreptitias, quia designatio census intrinsecè non pertinebat ad libertatis concessionem, atque etiam, si expressus fuisset census, non minus Papa annuisset, uti hic *Abbas n. 5.* notavit. Census itaque, liberâ partium voluntate, veluti seorsum constitutus fuit, ita ut gratis daretur exemptio, & gratis promitteretur census annuus, quia ita decens, & magis securum videbatur, ut videlicet sciretur, cujus beneficio Ecclesia ista ad monasterium pervenisset, & exemptio data esset.

CAPITULUM VII.

Cùm venerabilis.

PARAPHRASIS.

Episcopus Salinensis ab Abbate & Convectu Farbensis petebat Ecclesiam S. Angeli cum omnibus pertinentijs, & possessionibus, allerens ad se, tam in spiritualibus, quam temporalibus pertinere; imprimis se fundans in jure communi, cùm sita sit in Diœcesi sua, ideò ad ipsius jurisdictionem spiritualement spectare; quod verò attinet ad temporalia, exhibuit instrumentum publicum, in quo continebatur, Sabinensem Episcopum, Abbatem H. & duobus ejus successoribus, Ecclesiam cum suis pertinentijs locasse pro annua quatuor solidorum Papiensium pensione. Ex parte monasterij propositum fuit, huic instrumento fidem non esse habendam, propter superlinearem scripturam, & rasuram in loco suspecto, videlicet, ubi temporis annotatio erat; quod verò ad locationem attinet, & quæ ex parte Episcopi jus proprietatis inferebatur, responsum, tamen testes deposuerint, vidisse se, quòd Ecclesia S. Angeli 4. solidos Episcopo persolverit, tamen per id monasterio præjudicium non generari, cùm non appareat, solidos il-

los à monasterio solutos fuisse; præterquam quòd non ostenderit testes, pensionem tanto tempore solutam fuisse, quantum ad præscriptionem perficiendam sufficere possent. His intellectis, cum Innoc. III. cognoverit, Ecclesiam S. Angeli in Diocesi Sabineni sitam esse, Episcopo jus Episcopale in omnibus adjudicavit, exceptis ijs, quæ per authenticas scripturas subtracta, ostendi possent; ceterum quia instrumentum, per quod Episcopus Ecclesiam vindicare voluit, de jure suspectum est, ideò Abbatem in temporalibus ab impetitione Episcopi absolvit.

SUMMARIUM.

1. Ex sola locatione facta non probat locans dominium.
2. Exceptiones.
3. Rasura in loco suspecto vitiat instrumentum, ut fides illi non habeatur.

Notandum primum. Ex sola locatione facta, locans rei locatæ dominium non probat. *l. ad probationem 23. l. si quis 25. eodem de locato.* Ratio dari debet, quia etiam alienam rem aliquis locare potest, non tantum de facto, sed etiam quandoque de jure, quandoquidem is, qui conduxit, non prohibetur rem tertiæ personæ, æquè idoneæ, locare *l. nemo 6. C. eodem.* Ex quo sequitur, quòd neque per locationem fundi v. g. prohibetur possessio ejus, cum conductor rem conductam non possideat, sed is, videlicet locator, cujus nomine possidet conductor *l. si 25. §. & per colonos. ff. de acquirenda possessione.* & ad eò quidem ego, qui locavi, possessionem retineo, ut etiam si tu, qui à me conduxisti, alteri locaveris, existimanti fundum tuum esse, possessio nihilominus per te penes me maneat. *l. qui universas 30. §. finali ff. eodem.*

2. Excipe primò. Si tu, tanquam colonus meus mihi pensionem solvas, vel alio modo, te colonum meum, aut conductorem profitearis, hinc possessionem probare possum contra te, (videlicet, quòd tu rem non

possideas) non autem contra extraneos, uti notavit *Mascardus conc. 1181. n. 17.* & sumitur ex hoc *e.* quando in eo perpenditur, pro Episcopo contra monasterium per testes ostendi aliquid non posse ex pensione, nisi testes deponant, si vidisse, pensionem à monasterio solutam fuisse.

Excipe secundò. Si nemo alius in possessione sit, tum ex eo, quòd tu colomate meum profiteris, v. g. per pensionis solutionem, probari potest, me possessorem esse, uti docet *Matt. de afflictis decis. 35. n. 2.* & videri potest *Bart. in tit. l. ad probationem.* ubi ait, quòd ex tali continuata possessione longo tempore cum titulo colorato præscriptio contra verum dominum perficiatur.

Notandum secundum. Rasura apparet, in loco instrumenti suspecto, ipsum vitiat, ut fides ei habenda non sit; suspectus autem locus censetur ea pars instrumenti, ex qua maximè rei veritas deprehendi potest: hujusmodi judicatur esse *annas data,* vel *indictio,* juxta *tit. c. inter v. 1.* Minus tamen periculum, seu fraudis suspicò est, si ipse notarius, vel conditi testamenti scriptor, in eo loco rasarit, vel quidpiam superscripserit, nam sicuti in totius instrumenti confectione, ipsi fides haberi debet, ita etiam in loco rasuræ, aut factæ correctionis, secundum *Gloss. in l. ult. verbo prima figura ff. de edicto S. Adriani,* dummodo scriptura satis cognoscatur: sed quò frequens est, ut alienam manum aliqui imitari perfectè possint, ideò tutius, atque etiam consultum est, ut notarius, vel testator v. g. qui testamentum scripsit, & aliquid in eo correxit, de rasura, aut correctione mentionem faciat, ante finem instrumenti, prout *Bart.* docet *l. in fraudem §. si quis v. 4. ff. de testamento militis.* Deinde de ea antecedentibus, & consequentibus idem appareat, quòd in rasura, vel additione expressum est, non potest esse falsitatis suspicò, & ideò non censetur rasura, vel litterarum adjectio esse in loco suspecto, prout *hæc Gloss.* notat *v. propter prædicta.*

Cum dilectus.

PARAPHRASIS.

Controversia erat inter Episcopum Auriensem, & Abbatem, atque Conventum monasterij, quia isti negabant Episcopo subjectionem, & ideo Episcopus in eos censuras tulit, Abbate, & Conventu ad Papam appellantis; sed quia monasterij procurator Romam venit sine mandato procuratorio, & litteris derato, ideo Innoc. III. causam hanc quibusdam in partibus delegavit, hac forma, ut si cognoverint Abbatem legitime appellasse, priusquam Episcopus in eum sententiam suspensionis, vel excommunicationis, interdicti verò in Monasterium tulit, vel hoc monasterium ab Episcopi jurisdictione exemptum esse, sententias illas pronuntient esse irritas, non obstante, quòd Abbas ab Episcopo circumventus, sine Fratrum consensu obedientiam ipsi promiserit; cum fraus & dolus Episcopo patrocinari non debeat; sin autem Abbas in exemptionis probatione defecerit, neque legitima se prescriptione tueri possit, esto, quòd ostendat, se ante latam sententiam censuræ appellasse, monasterium pronuntient Episcopo subjacere, in cujus Diocesi situm est; quòd si verò in probatione appellationis prius interposita defecerit, sed nihilominus ostenderit exemptionem, aut legitimam prescriptionem, tunc monasterium ab impetitione Episcopi absolvant.

SUMMARIUM.

1. Appellatio interposita impedit, ne censura postea ferri possit.
 2. Quando sufficiat ad validum actum jurisdictionis, quòd sit aliquis in possessione superioritatis?
- Notandum primum. Appellatio interposita impedit, ne censura postea ferri

possit contra appellantem; idque est intelligendum, siue sit appellatio judicialis, siue extrajudicialis. Ita ex communi *Abbas hic n. 2. Barb. & alij.* Ratio est, quia excommunicatio non fertur, nisi in contumacem; non censetur autem contumax, qui post interpositam Appellationem, in ea causa, in qua provocavit ad Superiorem, ejus judicio, præcepto, ac sententiâ stare paratus est.

Notandum secundum. Ut sententiâ excommunicatiõis, aliûsve jurisdictionis actus valeat, satis non est, aliquem esse in possessione superioritatis. Ita sumitur ex hoc c. quando dicitur, non obstante, quòd Abbas circumventus, se Episcopo sine Fratrum consensu subjecerit, censuram latam ab Episcopo irritam esse: qua de re generalius hic disputant *Innoc. And. &c.* cum existens in possessione officij, aut potestatis, licet titulo, & jure destitutus sit, tamen validè exerceat jurisdictionis actus. Respondeo tamen, & dico primò. Si in possessione officij existens habeat titulum coloratum à Superiore, licet vitium, seu inhabilitas ex jure positivo proveniens subsit, sed publicè ignoretur, omnia ejus acta valent. Hæc est receptissima sententiâ ex *L. Barbarius ff. de officio prætoris*, quam explicavi *l. 1. r. 4. c. 22. n. 9.* & benè declarat *Abbas in c. nisi. n. 11. de electione* duo requirens, ut gesta valeant, publicum errorem, & auctoritatem Superioris; unum autem sine altero non sufficere ad supplendum defectum. Dico secundò. Si titulus coloratus desit, & possessio officij, vel potestatis injusta sit, seu mala fidei, actus jurisdictionis exercitos, non obstante publico errore, irritos esse: brevius dico, actus jurisdictionis, v. g. sententiam excommunicationis, dispensationis, absolutionis &c. ab Episcopo, aut Parocho intruso exercitos, nullius esse roboris, tamen vitium intrusionis ignoretur, uti colligitur ex hoc cap. & notavit *Abbas hic n. 4. l. supra cit.* Exemplum affert *Sanchez l. 3. de mat. disp. 22. n. 63.* in quodam oppido, cum Parochus abesset, Senatus c.

M m

VICUS

vicus substituit simplicem Sacerdotem, qui biennio omnia Parochi ministeria obivit, communi incolarum opinione pro vero Parocho habitus; dicendum, inquit *Sanchez*. Sacramenta Confessionis, & Matrimonij, quæ ad sui valorem jurisdictionem Parochi desiderant, invalida fuisse; licet contrarium, sed non rectè ausus fuerit docere *Basilus Pontius de matrimonij Sacramento l. 5. c. 20. n. 6. & 9.* Neque obstat his, quòd DD. aliqui docuerint apud Felinum, quos ipse dubius tamen, & cunctabundus sequitur, in c. 1. n. 18. de fide instrumentorum, si Notarius falsus, & intrusus sit publicè habitus pro vero Notario, instrumenta ab ipso confecta valere, ut colligi videtur ex *Authent. de tabell. ante §. ult. V. tunc subjacet pane.* Nam respondetur primò, sententiam hanc communiter reprobari, ut videre est apud *Commendatorem, Felinum, & Iasonem in cit. L. Barbarius n. 48.* contraria, inquit, opinio procul dubio est veta, & communis, quam intrepidè teneas, quòd talia instrumenta nihil valent, & communis error nihil operatur, quando non processit creatio Notarij ab habente potestatem: quæ postrema verba idèò addit, ut respondeat ad *Legem Barbarius*: si enim præter errorem communem adesset titulus coloratus, quia Notarius à Principe constitutus esset, qui occulto defectu v. g. servitutis laboraret, actus ejus, & instrumenta valerent, juxta primam nostram assertionem.

Respondetur secundò. Tametsi vera esset doctrina ea, quæ Notarij putatij hinc asserit valere instrumenta, non tamen posset transferri ad actus jurisdictionis, præsertim contentiosæ: quare licet aliqui DD. docuerint eam doctrinam, videlicet instrumenta Notarij intrusi valere propter publicam opinionem, nemo tamen, quòd sciam, præter Pontium docere ausus est, Sacerdotem v. g. intrusum in parochiam validè absolvere.

Dico tertio. Valdè probabile est, si quispiam sine Superioris collatione, vel au-

toritate, sit bonæ fidei possessor alicujus Prælatuæ, aut officij, quòd acta ejusdem publicè defectus ignoratur, valida sint. Ita sentit hic *Innot. n. 2. And. n. 4.* ut ajunt, ita sentire aliquos, & uti ipsi videtur, melius, *Iason in cit. L. Barbarius n. 51.* Ponamus v. g. Titium in Parochia tantquam Parochum suscipi, bonæ ejus fidei quia putat Episcopum mandasse, & in Parochia postea aliquamdiu tolerari, & scientia Episcopi; actus jurisdictionis ab eo Parocho exerciti, v. g. absolutionis, prædi erunt *argum. c. consultationibus 19. in jure pat.* ubi dicitur, quòd valet actus præsentationis ab eo factus, qui in possessione juris patronatus fuit, licet postea appareat, non fuisse verum patronum. Rationem omnes afferunt, quia prælatuæ veluti fructus quidam juris patronatus, qui possessori jura facultatem tribuunt, actus percipiendi, quamdiu in bona fide existimans sibi jus competere *L. bona fidei 48. ff. de acquirendo domini, & videtur potest Abb. in cit. c. consultationibus n. 4. Baldus in L. 7. n. 79. co. 1. de servit. & aqua*: ubi ajunt, duo in hoc casu requiruntur, ut publicum defectus, & bonæ fidei possessionem. Confirmatur etiam, quòd per hujusmodi actus jurisdictionis exercita temporis diuturnitate, cum scientia & potentia Superioris, præscriptio perfici possit, uti docent *Innoc. And. & alij in c. cum de restit. spol.* ergò actus ij validè habent probò consequentiam; partim quia non est conveniens, ut exercitio actuum invalidorum præscriptio perficiatur, & jurisdictione ipsa acquiratur; partim quia, si in bona fidei possessori officij aut Prælatuæ unum possessionis commodum, videlicet præscriptionem, tribuunt, ita neque aliter negare debent, ut validè operantur veluti fructum officij capere possint *argum. c. consultationibus. & c. querelam 24. in l. ubi hoc ipsum dicitur de electionibus, ubi eam à bonæ fidei possessore factam, non esse habendam, tametsi jus eligendi rectè non habeat. Quare non placet doctrina*

Abb. in cir. c. nihil n. 11. quem sequitur Sanch. d. 22. n. 54. discrimen esse inter actus electionis & presentationis à bonâ fidei possessore exercitos, & inter actus jurisdictionis; quòd his actibus jura resistant, ne validè fiant, nisi adfit concessio Superioris: nam hanc resistèntiam ipsi probare, non supponere debent, præsertim cum jura potius in hoc casu assistere videantur possessori, dum præscriptionis beneficium tribuunt, juxta illud vulgatum, quòd consuetudo præscripta jurisdictionem dat, & aufert. Dixi autem suprâ, ad jurisdictionem præscribendam & possidendam opus esse scientiâ & patientiâ Superioris, cujus est conferre, quia id generale est, quòd possessio & præscriptio jurium non procedat sine scientiâ, & patientiâ domini, uti docent Legistæ, item Bart. in L. 4. n. 6. Bald. in L. 2. n. 19. cod. de servit. Iason. l. c. n. 52. ubi hi resolvunt, si aliquis ingressus sit in parochiâ possessionem, tabellionatûs vel alterius officij, sciente & patiente Superiore habente potestatem, actus ejus valere.

CAPITULUM IX.

Ne nimia.

PARAPHRASIS.

Mandat Pontifex Innoc. III. cum Concilio Generali, ne quis in posterum novam Religionem inveniat, sed quicumque ad Religionem voluerint converti, unam ex approbatis eligant. Vetat insuper, ne quis in diversis Monasterijs locum Monachi assumat, nec unus Monachus pluribus Monasterijs præsit.

SUMMARIUM.

1. Novum institutum Religionis nemo introducere potest sine Romani Pontificis auctoritate.
2. Qui in aliud Monasterium legitime transfertur, amittit jura prioris Monasterij.

Notandum primò. Nemo jam potest novum Religionis institutum introducere, aut novam Ordinis regulam condere sine expressa Romani Pontificis approbatione. Idem habetur in c. unico hoc tit. in 6. Et in Extravag. un. Ioann. 22. eodem tit. ubi secta appellatur, quæ sine Sedis Apostolicæ approbatione introducta est Religio. Vide Suarez tom. 3. de Relig. l. 2. de relig. status essentia c. 15. & 16. & quæ dixi l. 4. tr. 5. c. 1. n. 3.

Notandum secundò. Si professus unius monasterij in aliud monasterium legitime transferatur, aut in Abbatem, vel Præpositum Regularem alterius monasterij assumatur, statim amittit jus, ac titulum prioris monasterij, consequenter etiam amittit jus suffragij dandi in priore monasterio, hoc ipso, quòd non sit unus ex corpore, five collegio illo, sed ad aliud translatus. Consentit c. constituti 47. de electione. ubi id docui not. 2. & in disp. de Pralat. q. 202.

CAPITULUM VNICVM

eadem Titulo in sexto.

Religionum.

PARAPHRASIS.

Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunensi repetit Innoc. III. decretum in Lateranensi Concilio latum suprâ c. ult. hoc tit. ne quisquam de cætero novum Ordinem, aut Religionem inveniat, vel novæ Religionis habitum assumat, ideòque omnes Religiones, & Ordines Mendicantium, qui post dictum Concilium inventi sunt, & Sedis Apostolicæ approbationem non acceperunt, prohibet, ac revocat.

SUMMARIUM.

1. An hæc prohibitio & irritatio extendatur ad omnes Congregationes Virorum ac Mulierum?

M m m 2

2. Qui

2. *Qui sub certa vivendi forma, sine Romanae Sedis licentia, congregati sunt, liberè discedere possunt.*

3. *Potest quis in certo habitu solitariam vitam agere, edito etiam voto Castitatis, & obedientiâ Episcopo promissâ.*

Dubitarur, num hæc prohibitio, & irritatio extendatur ad omnes congregationes virorum, ac mulierum, quæ sub certa regula, ritu, aut habitu, absque Sedis Apostolicæ licentia in communi vivunt pietatis ac Religionis zelo; licet propriè Religiosi non sint, si substantialia tria vota non edant. Negat *Felrus in c. Ecclesia S. Mariae n. 1. de constit.* ubi ait, hac constitutione non comprehendi eos, qui inducunt novum modum vivendi religiosè, non factâ professione, quia hæc non est propriè Religio. Sed contrarium est asserendum cum *Abbate parte 1. conf. 55. Suarez tom. 3. de relig. l. 2. de essentia status Religiosi c. 16.* nam Pontifex hic declaravit, universim prohiberi, ne quis novum Ordinem aut Religionem inveniat; talis autem congregatio sub certo vivendi modo, regula, aut habitu Ordo propriè dici potest, idque magis apparet ex *Extrav. S. Mariae Joann. 22. & Clement. 1. hoc tit. & Clement. 2. S. illas de statu Monach. & c. indemnitateibus 43. S. supra dicta de elect. in c.* in quibus locis mentio fit Canonicarum Regularium in communi viventium, quarum institutum, regulam & ordinem Pontifices ajunt, suæ intentionis non esse, tum approbare, satis significantes ad statum, & firmitatem talium Congregationum opus fore Pontificiâ approbatione, quam & quædam Virgi-

nes in communi ita viventes sub certa regula, licet proprium possideant, & vere religiosæ non sint, quibusdam in locis ab eadem Sede acceperunt.

His addendum primò. Quod viri & mulieres, quæ in Ordinem aliquem seu Congregationem sub certa vivendi forma, seu regula Religionis, sine Romanæ Sedis licentia, consociatæ sunt, liberè discedere possint, prout docet *Suarez n. 24.* quæ promissiones harum personarum in ordine ad talem congregationem sint nullæ, si idem votum obedientiæ, si editum sit, irritum habendum; imò etiam votum castitatis, si fiat cum intentione ad talem congregationem: suadendum quidem in hoc casu, ut absolutè castitatem in saculo levent, vel ad Religionem approbatam se transferant; si tamen nolint, matrimonium contrahere non prohibentur.

Addendum secundò. Non esse prohibitum, quominus viri in certo habitu solitariam vitam separatim agant, edito etiam voto castitatis, & obedientiâ promissâ, v. g. Episcopo, & Successoribus eius: item ut mulieres promissâ continentiâ, aut etiam eâ non promissâ, in privatis ædibus, certum vivendi, Deoque servendi ritum, ac regulam servent, cum solum Ordo in communi viventium absque Sedis Apostolicæ impetrata licentia prohibitus sit, ut invenit *Gloss. verbo habitum, Abbas & Suarez n. 25. Navarr. c. 27.* & quæ hic dicta sunt anno præcedente S. D. N. Urbani VIII. per quandam bullam ostendit in abrogatione mulierum in communi viventium, & Societatis JESU institutum sine Sedis Apostolicæ licentia perperam emulatum.

